

Y 2  
4995





O. D. B. V.

In

SECULARI MEMORIA

## INCENDII

GRAVISSIMI,

*quod VII. Junii Anno Domini M DCCVIII.*

Zittaviam miserrime afflixit,

SUSTINENDA &amp; ABSTINENDA

in civibus infelicibus

divinae justitiae spectatoribus

observabunt,

&amp; observanda adhuc

felicibus posteris

divinae misericordiae admiratoribus

in

GYMNASIO ZITTAVIENSI,

*V. Junii M DCCVIII.*

post sacra maturina peracta

commendabunt

quidam Juvenes.

Huic solennitati

ut intersint

DNN. PATRONI, FAUTORES

&amp; AMICI,

qui nobiscum Deo aeterno pro beneficiis

Civitati dilectae

post incendium horrendum exhibitis

gratias agere humiles,

ejusque misericordiae patriam

porro commendare

piis precibus velint,

maxime precatur

M. Adam Erdmann MIRUS,

Gymn. Con-R.

Zittavia,

Typis Michaëlis Hartmanni.





Mminet iterum post seculi decursum, vel jamjam instat funesta illa dies, quam dilecta nostra civitas pene supremam habuit. Divina enim permissione factum est, ut scelerosi quidam latrones, ignibus hinc inde subjectis, tantam excitarent flammam, quae quingentas civium aedes miserrime perderet, quindecim plateas immanissime exhauriret, nec Curiam nisi privatam turri maximaque ex parte deformatam relinqueret. Habebant certe infelices incolae tot testes irae & justitiae divinae, quot intuebantur loca torribus fumantia, quot aereas incendio desolatas, quot pauperes atque afflictos, damna sua lugentes. Non tamen deerant miseris gratiae & misericordiae divinae argumenta, eo quidem certiora, quo gravius videbatur malum acerbissimum. Cernebant enim, cura & providentia aeterni Dei servatum esse Templum, servatum Scholae aedificium, servatam cum bibliotheca Domum paracliti, servatam cum maxima Monasterii parte & granario aliquam urbis partem. Erant igitur quovis in loco obviantibus oculis, quae stimulum dolori addere videbantur; non tamen committebant, ut alia vel loquerentur, vel perficerent, quam quae Christianae prudentiae erant indicia. Sustinebant, quae iustitia divina civitati decreverat fata tristissima. Abstinebant a vitis, impatientiam animi arguentibus. Sustinebant cladem civitati illatam timore filiali; sustinebant humili patientia; sustinebant spe anhelante. Timor filialis eo minus patrem aeternum cupiebat offendere; quo gravior animo dolor infederat. Magnam conceperant terrorem omnium mentes, cum clamor repentinus nunciaret, aedes Scholandianas in nova urbe pleno fumare incendio; majorem, cum alii starent attoniti, nec quo se verterent, invenirent; alii lugubri voce aures implerent, alii de suspellectile sive condenda, sive exportanda solliciti, flammae permitterent arbitrium; maximum, cum saeviens flamma, quae vicinas aedes corripuerat, in remota dispergeretur loca, & fluctum instar in integras plateas devolveretur. Omnes tamen conjunctis vocibus testabantur, incendium hoc horrendum divinae iustitiae argumentum esse, elevatisque in coelum manibus, vel mitigationem vel averisionem gravissimam mali petebant. Filialis timor comitem habebat humilem patientiam. Cernere illam licebat non solum saevientem adhuc igne; sed & per Dei gratiam suppresso atque deleto. Nihil in se desiderari patiebantur territi cives in extinguenda flamma, quod humana industria efficere poterat. Ad nutum Consulis Davidis Burchardi intenti, pro viribus iussa ejus exsequerentur, & in mitigando malo gravissimis se periculis exponebant. Patienter tamen ferebant, cum viderent, ineluctabili incendio omnia conflagrare, nec prius inhiberi posse grassantis flammae rabiem, quam Deus ipsi limites posuisset. Post incendium patientiae exemplum aspiciere licebat in Templo. Qui enim homines Dominica ab hoc damno proxima in valido quidem habitu ad sacra peragenda convenerant; concionem manantibus lacrymis audiebant, culpam animo suspirante confitebantur Deo, atque ut miserorum animos contra tentationum impetum armare velit, humillimis precibus contendebant. Repetebat humilem confessionem Gymnasium, & Threnos Jeremiae patientiae argumentum faciebat, qui a Rectore Melchiore Gerlachio explicabantur, praesentibus non solum alumnis, sed & ipsis Magistris. Nec cives intermittebant publicam urbis calamitatem ita deplorare, ut infractum retinerent animum, & divinae voluntati se submitterent. Patientiam denique anhelante spe temperabant. Erant autem fieri non posse sibi persvaserant, ut civitas desolata & exhausta surgeret ex cineribus, tali quidem facie, quam olim habuerat; aliquem tamen habitandi locum se in ea inventuros, firmiter sperabant. Erigebat enim afflictos civis clementia summa invictissimi Caesaris Rudolphi II, qui, ut damnum quodammodo reparare liceret, in quinquenniis Camerae reditus remittebat. Inopiam civitatis sublevatam esse cupiebat Casparus a Metzrad, Consiliarius Caesareus, atque Provinciae hujus Praefes spectatissimus, quaeque ad sublevandam tantam cladem fa-

faciebant, liberali manu suppeditabat. Liberalitatem magnam testabantur civibus vicinae civitates, pia in egenos commiseratione adductae. Nec deerant privatorum multorum beneficia, eo gratiora civitati; quo majorem rerum omnium penuriam patiebatur. Sicut autem tristioris fortunae impetum majores nostri animo hominibus Christianis non indigno excipiebant; sic abstinere volebant a singulis rebus, quibus iustissimum Numen facile offenditur. Nihil loci in tam difficili tempore relinquebant indignationi; nihil immodicis querelis, nihil perversa desperationi. Facile quidem ad indignationem provocare multos potuisset tam miserabilis desolatae civitatis aspectus; nefas tamen ducebant, carnis sive infirmitatem sive praecipitantiam aliquo indignationis argumento prodere. Repelebant potius animo, scelera & flagitia incolarum irritasse iustissimum Numen, atque maximum hoc malum civitati accelerasse. Etsi enim Deus poenitentibus peccata remittit lubens; modum tamen de castigatione immittenda sibi reservat, atque tormenta ideo ingerit, ut ex illis poenitentiae ratio, fidei probatio, precum exercitium & beneficentiae studium proficiscatur, desideriumque vitae aeternae excitetur. Et licet in communi casu ingemiscere, interque gemitus civium istius gratiam implorare nulli dubitarent, a quo tanta poena erat profecta; at tamen in inanes res solvi querelas, & immodicis lamentationibus impatientem prodere animum, inutile ducebant. Noverant enim, Deum affligere suos in terris, ut virtutis ac potentiae suae divitias hominibus palam faciat, serium verbi divini desiderium inducat, & multiplici benedictione reddat, quae antea subtrahit. Maxime vero alienum ab homine pio ac religioso putabant, desperationi mentem tradere. Haec enim Deum offendit gravissime, dum ejus sapientiam, potentiam & bonitatem in dubium vocat. Haec lumen fidei extinguit, & confirmata multis promissionibus beneficia malitiose rejicit. Daemones quoque; impuro fenestras veluti aperit, ut hominem pessimis illecebris illaqueare possit.

Vidimus, quae infelices civitatis incolae sustinuerint, & a quibus malis abstinerint, cum tot irae atque iustitiae divinae monumenta haberent ante oculos posita; simul tamen non contemnendis misericordiae indicia erigerent. Videndum porro, quae a nobis & sustinenda & fugienda, qui in civitate gratiae divinae mera vestigia intuemur, poenas tamen malitiae nostrae debitas filiali timore meditatur. Sustinenda certe nobis officia tali felicitate digna, navandaque opera, ut beneficia patris aeterni recte agnoscamus, ut prudenter illis utamur, nec in gratia rependa quid operae in nobis desiderari patiamur. Agnitio divinatorum beneficiorum eo magis necessaria est; quo plura & majora illa invenimus. Magnum erat Dei beneficium, quod hyeme post prodigiosum incendium imminente, aedes multae pro conditione istius temporis reparatae starent, quod Curia una cum turri anno sequente ex cineribus resurgeret, quodque; reliquis spes daretur, aliquam conditionis pristinae faciem recipiendi. Maximum est, quod erectam civitatem servaverit, & quam post incendium vix lapideam sperabant majores, posteri marmoream habeant. Non quidem ab omni periculo ignis abiit, varias tam intra, quam extra moenia aedes devastantis; sic tamen cura & providentia divina fuit custodita, ut prius semper deleteret flamma, quam vel vires multiplicare, vel gravius damnum inferre civibus posset. Nec defuerunt aliae clades tam grassantis pestilentiae, quam belli nocentissimi. Pressa tamen, non oppressa est, illustriorque; semper post cladem acceptam rediit. Sed dum agnoscimus beneficia Dei aeterni, & civitati & civibus omnibus clementer exhibita; illis quoque prudenter utamur. Recordemur praeterita, nosque; examinemus, quomodo bonis a Deo concessis simus usi. Ordinemus praesentia, & quae debeamus Deo, quae proximo, quaeque; nobis ipsis, serio expendamus. Praevideamus futura, ne incauti incendium in mala, quae sive temeritate sive sceleribus propriis nobis attrahimus. In primis autem datori & conservatori tantae felicitatis maximas reponamus gratias. Quoties quaeſo reliquae civitates agri Hexapolitani nocentissimi incendii malo gravissime sunt afflictae; sed nostra per Dei gratiam integra servata. Damna sua queruntur Budissa, Gorlitzium, Lauba, Camenjum & Loe-

ba.

IXye 4995

bavia. Repetunt oppida minora, nec sine lacrymis efferre dolorem conceptum possunt. Nos experti sumus, quibus bonis suos exhilaret divina clementia. Quare datori & conservatori tantorum bonorum, qui nihil aliud possumus, humiles reponamus gratias, quod Curiam, quod Tempulum cum Gymnasio, quod universam civitatem in flore exoptato servaverit. Exaudiet fons ille inexhaustae bonitatis suspiria nostra, & porro dabit, quae ad exoptatae salutis cursum pertinent. Dum vero haec pietatis officia sustinemus; recedamus simul a profano religionis contemptu, securitate nimia, & perverfa vitae malitia. Profanus pietatis contemptus eo majora mala accelerat; quo magis Deum justissimum offendit. Amorem enim Dei in nobis commutat in odium, timorem filialem in fervilem, fiduciam cordis in diffidentiam, & venerationem in irreverentiam. Eo quoque plures rapit, ut in verbi divini tractatione fiant frigidi, in confessione fidei edenda lassii, in obedientia praestanda omnino obstinati atque perverfi. Nec securitatis vitium placere potest, nisi omnis probitatis osori. Securitas enim pessimis immerfa mundi voluptatibus, gratia divina abutitur, & futuras malorum poenas incautius tamdiu spectat, donec illis severissime coeerceatur. Vitae denique improbitas abjicienda est, quae cum pietate nihil potest habere commercii. Fugiendi hostes, qui incitationibus blandis ad omnia mala peragenda nos stimulant atque accendunt. Amandae virtutes homine Christiano dignae, atque sic vivendum, ut Deo atque hominibus placeamus. Et quoniam nihil boni in nobis habitat; Spiritus Sanctus implorandus, ut gratia divina menes nostras ad bona perficienda reddat idoneas.

Quae cum ita sint, pietate pariter & miseria tantae cladis incitati, memoriam secularem prodigiosi incendii recolemus; atque ita recolemus, ut & officia majorum nobis ante oculos ponamus; & quae nobis posteris incumbant, digne expendamus. Spectabimus in illis, quae sustinuerint, cum tot testes irae divinae intuerentur, quaeque neglexerint. Adjiciemus, quae a nobis sustinenda, & quibus abstinendum, qui gratiae & misericordiae divinae monumenta omnibus in locis offendimus. Sermo quidem nec lepore suo neque venustate gloriari poterit; sed tantum simplici pietate ac reverentia se commendabit Auditorum gratiae.

Prodebunt igitur initio duo Adoloscetes JOHANNES Gottfried Kestl / & CHRISTIANUS Gottlieb Wengel / Zitta - Lusati, atque Dialogo quodam Auditorium ad calamitosam Incendii furam audiendum praeparabunt. Hic factis, ostendet

JOHANNES CHRISTIANUS Nüßelt / Z. Lus. quomodo afflicti cives cladem tantam experint **TIMORE FILIALI**.

CHRISTIANUS MAURITIUS Stöcker / Z. L. celebrabit **HUMILEM PATIENTIAM**.

BENJAMIN Gotthelf Hering / Z. L. ANHELANTEM SPEM adjiciet.

JOHANNES CHRISTIANUS Mönch / Z. L. monstrabit, quod nil loci **INDIGNATIONI** reliquerint.

ANTONIUS Frölich / Z. L. dicet, quomodo **IMMODICAS QVERELAS** fugerint.

Gottfried Richter / Z. L. ab illis removebit **DESPERATIONEM**.

His absolutis, apparebunt iterum duo Adoloscetes, de felicitate civitatis, quam nunc intuemur, colloquium habituri, nempe JOHANNES GEORGIUS Büttel / & JOHANNES CHRISTIANUS Büttel / Z. L. Deinde.

Gottfried Posselt / Tücherau - Lus. nos ad **AGNITIONEM DIVINORUM BENEFICIORUM**, incitabit.

Gottfried Hartig / Ulbersdorf. L. beneficiis **PRUDENTER UTI**, universos jubebit.

ABRAHAMUS Krügel / Volckerdorf. L. **GRATUM ANIMUM** requirit.

CHRISTOPHORUS Stolle / Hennersd. Lus. a profano **RELIGIONIS CONTEMPTU** nos abducet.

Gottfried Cubasch / Glossenfs Lus. **SECURITATEM** rejiciet.

Gottfried Parschil / Z. L. **PERVERSAM VITAE MALITIAM** accusabit.

Gratias agent honoratissimis DNN. AUDITORIBUS in Dialogo aliquo CHRISTIANUS Erdmann MIRUS, & JOHANNES Gottfried Koch / Z. L.

Dum vero seculare hoc officium praestandum. DNN. PATRONOS, FAUTORES & AMICOS, quanta possum ac debeo reverentia invito, ut cras post sacra matutina peracta hanc nobiscum memoriam recolere, & audiendi facilitate demonstrare amorem debitum in patriam velint.

P. P. Fests Trinitatis.

11

Pon Ye 4995, Fu

ULB Halle 3  
003 577 236



f

V 918







7. 3. 34. 58.

Ye  
4995

Q. D. B. V.  
In

# SECULARI MEMORIA INCENDII GRAVISSIMI,

quod VII. Junii Anno Domini M DCCVIII.

Zittaviam miserrime afflixit,  
SUSTINENDA & ABSTINENDA  
in civibus infelicibus  
divinae justitiae spectatoribus

observabunt,  
observanda adhuc  
felicibus posteris  
misericordiae admiratoribus

in  
**PRO ZITTAVIENSI,**  
Junii M DCCVIII.

facra maturina peracta  
commendabunt  
dam Juvenes.

hic solennitati  
ut intersint  
**PROBATIONI, FAUTORES**

**et AMICI,**  
Deo aeterno pro beneficiis  
Civitati dilectae  
horrendum exhibitis  
gratias agere humiles,  
misericordiae patriam  
porro commendare  
s precibus velint,  
maxime precatur

**Erasmus MIRUS,**  
Gymn. Con-R.

Zittavia,  
Michaelis Hartmanni.

